

Petrus de Vinea

*Ep. IV 9 (Iuris ciuilis professoribus
uniuersis magister Petrus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. IV 9 (Iuris ciuilis professoribus
uniuersis magister Petrus...)*

circa 1235

Eisdem, de morte Iacobi Balduini.

Iuris ciuilis professoribus uniuersis magister Petrus salutem et attendere ultimum ante primum. 1. Amaritudo amarissima et materia concreta doloribus humanis nouiter mentibus occurrerunt. Nam unicus et singularis in terris homo, in quo uelut in suo proprio leges conuenerant et uiuebant, eloquentiae tuba et consilii plenitudo sedebant, est reuocatus ad patriam; de cuius reuocationis amaritudine uox populi a fine usque ad fines, et terminos orbis terrae dolorosa multum exiuit, nec mirum, quia iam optimus persuasor bonorum operum omnium excellentissimus Iacobus de Regione Iesu Christo spiritum resignauit, attritus est nimium derepente gloria uultus eius, in cuius occasum non solum Lombardia sole priuata suo, uerum etiam maxima pars uiuentium continuis lacrimis ingemiscit, et doloris gladii multorum animos perforarunt. 2. Nec immerito, cum ipse Dominus legifer et supremus de prescriptis iuris apicibus sensus informaret informes, et adhuc uiuentia eius opera non desinunt informare. 3. Qui licet ut homo desierit, non tamen desiit ut magister, quia mortuus ipse docet, quantum sit appellatio mortis difficilis, uiolenta et necessaria: difficilis, quia non est ibi solutio; uiolenta, quia resistentia nulla; necessaria, quia ex modo necessitatis omnem superat sillogismum, exceptiones non recipit et dilationes aliquas non admittit. 4. Verum quia mirabilis est ista regula mortalium, quae numquam fallitur, sed omnes fallit, fallentia uidelicet ueridica, quae in credentia non habetur, ipsa quidem est nequitiae nebula, tristitiae genitrix, diffusio lacrimarum, uniuersae carnis exterminium et singularem destructiua. 5. Ideoque,

uiri prudentes, in doctore mortuo prudenti addiscite, quicquid possit et quantum fortia exterminantis angeli, et diligenter attendite, quod legum facundia uel aliquarum scientiarum doctrina mortis imperio non resistit.